

No. 920. 1427. 6. Juni.

*Das Domcapitel verkündigt dem Papst Martin V. die nach Bischof Rudolfs Tode einstimmig erfolgte Wahl des Domherrn Johann Hofmann, Propst zum Hain, zum Bischof und bittet um Bestätigung des Erwählten.*

Sanctissimo in Christo patri ac domino domino Martino digna dei providentia sacrosanctae Romanae ac universalis ecclesiae summo pontifici eiusdem sanctitatis devoti filii Caspar de Schonenberg decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis cum omni reverentia et subiectione devotissima pedum oscula beatorum. Cum propter vacationem diutinam ecclesiae pastoris solatio destitutae gravia nonnunquam in spiritualibus et temporalibus dampna patiantur, eapropter conditiones canonum provide censuerunt, ut ultra tres menses pontifice proprio non vacet ecclesia cathedralis, ne pro defectu pastorum gregem dominicum lupus rapax invadat aut ecclesia viduata in suis facultatibus dilapsa maioribus cogatur dispendiis subiacere. Defuncto igitur hoc anno currenti die XXIII mensis Maii proxime praeteriti bonae memoriae quondam domino Rudolffo episcopo Misnensi, et ipsius corpore cum reverentia ecclesiasticae prout moris est tradito in Misnensi ecclesia sepulturae, ne ecclesia ipsa viduitatis suae incommoda diutius deploraret, fuit a praesentibus dictae ecclesiae canonicis capitulariter congregatis, cui quidem capitulo ego Caspar decanus praedictus tunc praesidebam, dies certa, hodierna videlicet sexta mensis Junii, cum continuatione sequentium dierum ad electionem futuri pontificis celebrandam concorditer assignata. Citatis interim absentibus, et convenientibus in termino supradicto ad capitulum Misnense apud dictam cathedralem ecclesiam Misnensem in capella omnium sanctorum celebratum omnibus, qui debuerunt voluerunt et potuerunt commode interesse, statim nullo alio tractatu interveniente subito et repente, spiritus sancti gratia invocata firmiter inspirati omnes nullo penitus discrepante direximus in venerabilem virum dominum et magistrum Johannem Hofeman sacrae theologiae professorem concanicum nostrum et praepositum Haynensem in ecclesia Misnensi vota nostra, virum utique providum et discretum, litterarum scientia, vita et moribus excellenter commendatum, in sacerdotii gradu et aetate legitima constitutum ac de legitimo matrimonio procreatum, in spiritualibus et temporalibus plurimum circumspectum, quem una voce et uno spiritu in nostrum et ecclesiae Misnensis elegimus episcopum et pastorem. Post quam quidem electionem sic divina inspiratione celebratam dictum venerabilem virum et magistrum ibidem praesentialiter inter nos constitutum humiliter reverentia qua decet capitulariter requirendum duximus, rogantes, quatenus ob divini nominis atque dictae ecclesiae honorem suamque et omnium nostrum ac ecclesiae subditorum salutem, et quem exinde speraremus profectum consentire dignaretur electioni taliter de se factae. Qui deliberatione et consultatione aliquali cum certis concapitularibus habita, licet ex humilitate se insufficientem et indignum asserens multipliciter excusaret, nobis tamen vehementer instantibus timens divinis dispositionibus contraire, iugo divinae vocationis cervicem cordis humilians, invocato dominicae potestatis auxilio